

dei peccent spiritum. Ab hoc ergo cum omnibus probe sit cauendum, omnibus dubio procul in rem erit, ex sanctioribus litteris diuinitus reuelatis distincte nosse, quid sit peccatum in sanctum dei spiritum, et a quibusnam illud committatur. Operae itaque pretium fecisse putandi sunt magni nominis purioris ecclesiae nostrae doctores, qui ex diuinis litteris indolem huius peccati passim in scriptis suis fusius delinearunt; At uero, si pro ingenii tenuitate quid iudicare valeo, hoc in iis haud probandum esse putarim, quod plerique fere omnes characteres essentialis dicti peccati ex verbis seruatoris Mat. XII. 31. 32. deriuare ac demonstrare conentur, cum tamen ex isto loco non tam indoles huius peccati, quam hoc saltem probari euidenter possit, quod illud a deo non condonetur. Alius ergo eligendus est sacrae scripturae locus, ex quo, quid sit peccatum in sanctum dei spiritum, clarius potest definiri: Jam vero in tota scriptura, quod scio, non exstat ad hunc finem aptior ullus, quam ille paullinus Ebr. VI. 4. 5. 6. Non inutile ergo argumentum me pertractaturum esse crediderim, si ad huius loci ductum distincte demonstrauero, quaenam peccatum in spiritum s. absoluant, et a quibusnam illud committatur. Non multum hic immorabor recensendis et diiudicandis aliorum de hoc peccato sententiis, eas qui nosse cupit, adeat JO. CASP. SVICERVM in *Thes. Eccles. T. I. p. 698. seqq.* B. JO. GERHARDVM in *Com. h. l. CHRISTOPH. MATTHAEVM PFAFFIVM Instit. Theol. Dogm. P. I. Cap. VII. p. 220. seq.* GOTTF. OLEARIVM in *Obs. ad Matthaeum p. 391. seqq.* JO. MARCKIVM *Exercit. Bibl. p. 681. seqq.* JO. NIC. QVISTORPIVM in *Diss. contra nouam de peccato in spiritum s. hypothesein Rostochii 1709.* VAL. WELTHEMIVM, JO. DEVTSCHMANNVM, JO. FRIED. MAY-

MAY-